Nat. Hist. Hoffmann

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS DANIAE NORWEGIAE A CONSILIIS; PHILOS. DOCT. GYMN. ACAD. ALTON. PROF. HONORARII; ECCL. EVANG. RATISB. MINISTRI; ACAD IMPER. ROBORET. BEROLIN. AC BAVAR. SOCIET. LITTERAR. DVISBVRG. ET TEVTON. GOETTING. NEC NON LIBERAR. ART. LIPS. SOCII

ICONES ET DESCRIPTIO FVNGORVM

QVORVNDAM

SINGVLARIVM ET MEMORABILIVM

SIMVL

FVNGORVM BAVARIAE

ICONES NATIVIS COLORIBVS EXPRESSAE

EDITIONI IAM PARATAE

PROPEDIEM EVVLGANDAE

DENVNCIANTVR.

AVSPICIIS ET IMPENSIS

ACADEMIAE ELECTORALIS BAVARICAE MONACENSIS.

RATISBONAE, TYPIS WEISSIANIS.

A. C. N. CIↃ IↃCCLXI.

BVFFON Hist. naturelle T. IV. p. 18.

Dans les vegetaux il y a peut-être de même des germes seminaux, comme dans les animaux, & que la graine n'est point un germe, mais une production aussi parfaite que l'est le fœtus d'un animal, à laquelle comme à celui-ci il ne manque qu'un plus grand developpement.

SECTIO I.

DESCRIPTIO FVNGORVM QVORVNDAM SINGVLARIVM ET MEMORABILIVM.

§. 1.

Cum partes mihi demandatae ſint longe iucundiſſimæ, vt operis vtiliſſimi, ſuperiore anno promiſſi, ad botanicam pertinentis, iam inchoatam denunciarem editionem: non potui a me impetrare, vt vulgari more, ac ſola denunciatione ſuſceptum hoc negotium procurarem. Credebam ſcilicet, haud paullo maiorem me initurum gratiam, ſi *nouum ac memorabile* quidquam huic denunciationi præmiſiſſem, quo gratiorem eam vtilioremque efficere ſtuderem. Neque aptius quidquam ad rem aut conuenientius mihi viſum eſt, quam natiuæ & viuis coloribus expreſſæ icones ac breuis deſcriptio *fungorum quorundam ſingularium*, & non vno reſpectu *omni attentione digniſſimorum*, quos ſuperiori menſe nanciſci mihi contigit.

§. 2.

Equidem non nisi quinque hujusmodi fungos rariores & memorabiles exhibeo; sed ex numero ceterorum non sine multa deliberatione selectos. Atque hi, credo, amplius illustrabunt, magisque corroborabunt hypothesin meam, quam secutus aliquando peculiari scripto *semen* proprie sic dictum, & huic innixam *propagationem fungorum* in dubium vocaui (*) Ac spero sane fore, vt singulæ horum fungorum species peculiari modo illi dubitationi meæ patrocinentur, plurimumque addant ponderis.

§. 3.

Figura *prima* sistit par fungorum, qui concreti videntur. Conspiciuntur nondum euoluti, primulum erumpentes, & in prima quasi pueritia constituti. Referendi sunt ad idem genus, quod jam expressum dedi (**). Hæc fungorum species cum ex basi alba, rotundiuscula, fere ouali & inæquali assurgat: idem in vtroque horum fungorum animaduertitur (***). Atque hæc ipsa crassa & oualis basis memorabilis ea pars est, qua fungorum alter ad latus dextrum (†) pileo alterius ad sinistrum latus (††) insidet.

Quodsi duo hi fungi ita inter se juncti essent, vt oualis basis utriusque terram potuisset attingere, nihil eorum esset singulare: nam huius generis infinita subinde deprehendere licet exempla. Cum vero, vt apparet, fungus dextra sui parte terram plane non potuerit attingere, neque adeo ab ea accipere, quæ ad ortum, eruptionem & incrementum sunt necessaria, quippe maiore parte baseos oualis pileo alterius incumbens; ea res vtique maioris videtur esse momenti.

§. 4.

(*) *Vorläufige Beobachtung der Schwämme um Regensburg.* s. 38. - 40. p. 19-24. (**) in modo dicta *Beobachtung der Schwämme* Tab. I. II. III. (***) Fig. I. a. b. (†) c. (††) d.

§. 4.

Idem de *secunda* quoque figura (†) dici potest. Exhibet ea boletum nouellum, necdum euolutum (††). Huic nouello eidemque maiusculo boleto infra adhæret alius minusculus (†††), sed qui non meretur attentionem. Omnino autem obseruatu dignus est pileolus (‡) dextro lateri boleti maiusculi insidens. Videri quidem possit hic pileolus lateri maioris boleti fortuito illapsus aut impositus, cum longitudini dicti lateris nihil accessisse animaduertatur, quæ accessio si esset, pro petioli genere haberi queat. Facile igitur in eam inclines sententiam, hunc merum ac verum naturæ lusum esse. Equidem vt illi subscribam, nulla ratione adduci possum. Absolutissima huius pileoli figura, ceteris atque ordinariis horum boletorum pileis exacte respondens, rem mihi reddit incredibilem.

§. 5.

Rarior etiam & memoratu dignior est figura *tertia* (‡‡). In hac nimirum sex numerantur boleti (‡‡‡), quorum omnium vnica est basis, seu vnicus petiolus primarius: vnde sequitur, omnes non nisi vnicum efficere fungum. Ac sane perspicuum est, omnia in hoc boleto mirabiliter formata esse, & inter se connexa.

Maximo horum boletorum, quem *primarium* (*) appellare placet, primum in parte anteriore deorsum, ac fere in medio latere, iisdem vt in figura antecedente (**), insidet *pileolus* nudus, non plane rotundus, sed aliquantum inæqualiter oblongus, & altera parte in angulum desinens (***). Deinde lateri dextro boleti primarii insidens conspicitur boletus illo minor, ceteris maior (†). Maxime vero in eo meretur obseruari, quod pileus (††) eius cum pileo primarii sine vlla intermissione aut intercapedine ita coëat (†††), vt

 ambo-

(†) Fig. II. (††) a. (†††) b. (‡) c. (‡‡) Fig. III (‡‡‡) a. b. c. d. e. f.
(*) a. (**) Fig. II. c. (***) Fig. III. b. (†) c. (††) h. (†††) i.

amborum vnus tantummodo pileus esse videatur. Concretionem horum pileorum commodissime comparare possis cum binis panibus iunctis, quos *Kapeln* vocant nostrates, aut cum Saxonum panibus binis quadrantariis (*einem paar Pfennigbroden*) eo tamen discrimine, vt in hisce panum generibus semper maius minusue restet coniunctionis vestigium, & quasi cicatrix quædam: quale nihil in ipsis pileis apparet. Reliqui tres fungi (*) summa attentione digni videntur. Non solum omnes primario (**) & secundario (***) sunt minores, sed ipsi etiam inter se differunt magnitudine, qua singuli gradatim decrescunt. Maximus ex his tribus, quem, ob rationem statim adiungendam, boletum *pilei* (†) dicemus, adhæret dextro lateri boleti primarii (††), & quidem parte inferiore lateri dextro petioli; cetera eius libera in aëre conspiciuntur. Ipse ad perpendiculum fere directus assurgit: aliquanto tamen magis ad sinistram deorsum inclinat. Ceterum quoad omnes partes boleti ordinarii speciem exacte refert. Quam mirabiliter etiam huic pilei boleto duo postremi (†††) adhærent! Alter, isque maior, quem *medium* (‡) appellare liceat, posteriore parte, tum petioli, tum pilei, anteriori parti petioli & pilei boleti a pileo denominati iungitur, ita quidem, vt ambo pilei, non secus ac pilei boleti primarii & secundarii, sine vlla intercapedine in vnum coëant, ipse autem boletus ad perpendiculum directus assurgat. Postremus (‡‡) omnium minimus est. Sola infima parte petioli infimæ parti petioli boleti medii annectitur, deorsum inclinans, & cum medio boleto angulum formans aliquatenus acutum.

§. 6.

Venio nunc ad figuram *quartam* (‡‡‡). Hic rursus apparet par boletorum ordinariorum. Ratio autem concretionis est omnino singularis, & a coniunctionis modis superiorum plane diuersa. Illi vniuer-

(*) d. e. f. (**) a. (***) c. (†) d. (††) k. (†††) e. f. (‡) e. (‡‡) f. (‡‡‡) Fig. IV.

vniuersi aliqua parte laterum ceteris sint connexi: præsens autem figura hoc habet peculiare, vt ex pileo alterius boleti (*) alter perfectior, sed minor, (**) sit enatus. Horum cum vterque quoad figuram & partes boletis ordinariis omnino sit simillimus: non video, quid eorum describendum sit; nisi forte hoc, quod boletus minor pileo maioris extra centrum ad marginem versus non nihil oblique insistat, ita quidem, vt cum superficie pilei angulum formet aliquatenus acutum.

§. 7.

Quodsi quatuor hæ figuræ modo a me descriptæ solæ essent, quibus supra memoratam nouam hypothesin meam (§. 2.) illustrare & corroborare cogitarem: facile præuideo, quid non nulli mihi sint obiecturi. Sed bona fortuna mea accidit, vt metuendis iis obiectionibus nouam, nimirum quintam & sextam figuram possim opponere.

§. 8.

Quinta & *sexta* hæc figura (***) rursus a ceteris omnibus, ac præcipue quidem in eo diuersa est, quod, cum reliquæ aut petiolo plane carerent, aut si vel maxime petiolum haberent, nunc petiolo & pileo simul, alii fungo insiderent, hic longe aliter res est comparata.

Est hæc fungi species ex eo genere agaricorum, quos hic in Bauaria *Hirschlinge*, in Saxonia *Herbstlinge* nominant. His illud est peculiare, vt incisi aut compuncti emittant succum sanguinei coloris, rotundis globulis, præsertim cum punguntur, emicantem, vt fungus sanguineas lacrimas fundere videatur. Rubens hic succus gustui peracerbus est & mordax; fungus autem ipse nihilo secius esculentus: immo propter ipsam acrimoniam præter ceteros frequentissime, atque fere vbique locorum comeditur.

Is,

(*) Fig. IV. a. (**) b. (***) Fig. V. VI.

Is, cuius hic figura exhibetur, eſt e genere minimo, quippe cum ceteri plerumque octuplo aut decuplo maiores eſſe ſoleant. Quin etiam inueniuntur non nunquam huius generis fungi magnitudine plane eximia. Huic, de quo agimus, infra aſſiſtentem cernis alium minorem (*), ſed cum maiore (**) nullatenus coniunctum, & perſe ſolum ſubſiſtentem, neque adeo peculiari conſideratione dignum. Præcipuam autem attentionem meretur minimus ille(***), qui pileo (†) maioris incumbit. Genus illi cum maiore, & infra aſſiſtente minore eſt commune, habetque figuram, & formam, & colorem plane eundem, niſi quod eorum minimus eſt. Et cum illi, vt omnes agarici natiui, tres habeant partes primarias; in hoc quoque minimo easdem partes conſpicere licet. Etiam in eius icone pileus & petiolus liquido poſſunt diſcerni: in ipſo autem fungo ſub pileo lamellæ haud difficulter agnoſcuntur. Omnes hæ partes habent eandem formam externam, eadem pilei ornamenta tæniis ſimilia, præterea colores fungis huius generis proprios. Quin etiam ſuccum rubentem, guſtui peracerbum & mordacem, inſtar lacrimularum, fungus minimus exſudauit, cum eum acu compungerem. Omnibus his rebus ita comparatis, nemo ſane ibit infitias, rariorem hunc fungum noſtrum vere ex eo genere eſſe, ad quod a nobis eſt relatus.

Sed præcipuum eſt, quod attinet ad modum, quo minimus ille fungus maximo incumbit ſiue connectitur. Hæc perexigua eſt pars pilei, qua margini alterius adhæret ſeu concretus eſt. Tota pars reliqua pilei totiusque fungi omni vinculo caret, liberoque aëre fruitur, quæ res in primis petiolo oblique aſſurgenti lepidam conciliat ſpeciem.

§. 9.

Hactenus de his quinque ſingularibus & memorabilibus fungis, quod ad icones & deſcriptionem eorum pertinet.

§. 10.

(*) Fig. V. VI. a. (**) b. (***) c. (†) d.

§. 10.

Quid vero ad rerum naturalium inueſtigationem inde redundabit commodi? Quid ex eorum figura minime vulgari, præcipue ex inuſitata & naturæ legibus contraria cohæſione colligi, ſi non certiſſimis argumentis probari poterit?

§. 11.

Niſi fallor, quæ ex iis efficiuntur, citra controuerſiam hæc erunt: *Fungorum peculiarem oportet eſſe modum ortus, euolutionis, incrementi & propagationis, planeque diuerſum ab illo, qui de aliis plantarum generibus adhuc innotuit. Ergo quod, ex analogia ceterarum plantarum adhuc nobis cognita, ſemen fungorum dictum eſt, ſemen proprie dici non poteſt. Omnium partium fungorum, vt* MYLIUS *ait, tantam oportet eſſe conuenientiam, vt perinde ſit, ſupra, an infra collocatæ ſint partes; alimenta cum aliis communicent, an ab aliis accipiant. Singuli fungi, ex noua hypotheſi mea, ſingulis ouis ſiue iis, quæ putantur, ſeminibus ſtatim initio integri & perfecti contineantur, neque alia re, quam euolutione imbibendis neceſſariis humoribus indigeant neceſſe eſt.*

§. 12.

De omnibus his ſententiam meam vberius expoſui in libello ſupra memorato (*), totque rationibus firmaui, vt actum agerem, ac iuſto longior eſſem, ſi hoc loco omnia ibi dicta repeterem, & ad hos nouos fungos accommodarem. Quæ ibi a me diſputata ſunt & pertractata, facile quisque per ſe cum his nouis iconibus earumque deſcriptione comparare, & quæ opus ſunt, inde efficere atque intelligere poterit.

§. 13.

Merito igitur in his adquieſco, atque ad eam rem progredior, quæ cauſſa fuit, quare pagellæ hae prelo committerentur.

B SECTIO II.

(*) *In der vorläufigen Beobachtung der Schwämme um Regensburg.*

Sectio II.

DENVNCIATIO NOVI OPERIS, QVOD EDI IAM COEPTVM EST, FVNGOS BAVARIAE NATIVIS COLORIBVS EXPRESSOS EXHIBENTIS.

§. 14.

Academiae Electoralis Bauarica Monacensis vix erat condita, cum partem botanices adhuc omnium minime elaboratam atque illustratam, quam praecipua quadam cura foueret atque adiuuaret, eligere decreuit, fungorum nempe historiam atque icones. Consilium & modum, ad quem huiusmodi fungorum historia fini proposito conuenienter elaboranda esse videretur, secum communicatum approbauit. Quamquam igitur adhuc non defuerunt, qui, cum tale quidquam nunquam ipsi tentauerint, neque adeo experti sint, quantum deliberationis, laboris & patientiae prima talis operis institutio requirat, vehementer putauerint dubitandum, an hoc opus vnquam in lucem esset proditurum: tamen haec dubitatio iam ipso facto atque euentu satis refutatur.

§. 15.

Quod gratum fore non dubitamus omnibus, qui rerum naturalium vtilissimarumque cognitione delectantur, in primis botanices studiosis, possumus eos iam certiores facere, collectioni fungorum Bauariae etiam hoc anno, quamuis siccitate aestuque laboratum sit non mediocri, non modo amplius centum accessisse, sed

etiam

etiam tabulas, quae fungos aere excuſas natiuisque coloribus inductas exhibent, abſolutas eſſe, & ad edendum paratas.

§. 16.

Cuius inſtituti rationes quanquam aliquot libellis iam abunde ſunt expoſitae (*): viſum tamen eſt maxime neceſſaria hic repetere, tum propterea, quod dicti libelli Germanica lingua ſunt conſcripti, adeoque a pauciſſimis exterorum intelligi poſſunt; tum quod paucioribus viſos atque cognitos putamus, quam inſtitutum & communis vtilitas huius operis poſtulare videtur.

§. 17.

Scilicet in adornandis edendisque iconibus & hiſtoria fungorum Bauariae ſequentes nobis leges poſuimus, quas in toto opere procurando ſanctiſſime obſeruabimus.

§. 18.

Initium fiet edendo ſingulas fungorum ſpecies, aere excuſas, coloribusque inductas, eodem exemplo, quod in praeſentibus videre licet: qui modus edendi per certa temporis interualla continuabitur (§. 36.): cum interim etiam pluribus fungis per has regiones inueſtigandis opera dabitur.

§. 19.

Icones hae coniunctae ſeparatum tomum efficient, hoc titulo inſcribendum: *Iacobi Chriſtiani Schaeffer Fungorum Bauariae, po-*

(*) *Beobachtung der Schwämme um Regensburg.* 1760. *Der Gichtſchwamm &c.* 1761. *Vorſchläge zu einer gemeinnützlichen Ausbeſſerung und Beförderung der Naturwiſſenſchaft.* 1761.

tissimum qui circa Ratisbonam nascuntur, *icones*, *auspiciis & impensis Academiae Electoralis Bavaricae Monacensis*, *accurate delineatae*, *& publici iuris factae*. Hic tomus ita instituetur, vt etiam sine ceteris, de quibus dicturi sumus, vsui esse possit.

§. 20.

Nullorum fungorum icones prodibunt, nisi quos a prima euolutione, & quatenus fieri potest, ab ipso ouo siue semine, quod vocant, ipsi obseruauerimus.

§. 21.

Vnius cuiusque fungorum speciei sequentes saltem apparebunt icones primariae: Fungus nondum euolutus; semiperfectus siue dimidiae magnitudinis; facies eius characteristica; fungus dissectus; denique, quoties opus erit, destrui incipiens.

§. 22.

His primariis iconibus tot accedent secundariae, quot mutationes fungum ignorabilem, diuersum, & dubium reddere possent. Atque vsu edocti praeuidemus nonnunquam fore, vt vnica fungorum species duas, tres aut quatuor tabulas desideret.

§. 23.

Omnes icones a peritis artificibus elaborabuntur, atque aere excusae natiuis viuisque coloribus scite docteque expingentur.

§. 24.

Omnia vasa propagationi inseruientia, semini similia, siue oua, tum naturali specie, tum lente aucta exhibebuntur.

§. 25.

§. 25.

Quotiescunque vel eſſentia fungi alicuius, vel accidentia poſtulabunt, inſtituetur anatome, eiusque ope & naturales icones, & lente auctae adornabuntur.

§. 26.

In nominibus ac diuiſionibus generum ſolum *Linnaeum* ſequemur, adeoque progreſſu temporis hae tradentur claſſes: *Agaricus*, *boletus*, *hydnum* ſeu *erinaceus*, *clauaria*, *clathrus*, *phallus*, *eluela*, *peziza*, *lycoperdon*, *mucor*.

§. 27.

Vt varietate delectationem afferamus, nunc huius, nunc illius generis ſpecies quasdam emittemus, ita tamen, vt aliae alias ordine ſubſequantur, & commode poſſint reponi.

§. 28.

Animus eſt tum ſpecierum, tum ſingulorum fungorum, nullum ſeruare ordinem, neque nomina characteriſtica, agnomina ſcriptorum, & alia huius generis adiicere; ſed tantum ſecundum genera numeros continuare. Cuius rei rationes ex iis, quae in ſaepius memorata *Beobachtung der Schwämme um Regensburg* publice propoſui, facile cognoſcentur atque approbabuntur.

§. 29.

Singulis tamen tabulis breuis figurarum explicatio ſubiicietur.

§. 30.

Quid de figurarum in aere expreſſione, inductione colorum, & explicatione ſit exſpectandum, praeſens tabula aere excuſa exemplo eſſe poterit.

§. 31.

Vt tirones, hominesque indocti & rustici genera fungorum, quantum opus est, cognoscere queant, volente DEO, ante ferias Paschales proximi anni, vt speramus, aut certe non multo post, edentur tabulae aere excusae, coloribus inductae, singula genera ita exhibentes, vt facillime dignosci possint. Hae icones vna cum descriptione separatum tomum efficient, cui titulus erit: *Isagoge in Fungorum Bauariae historiam, cet.*

§. 32.

Omnibus harum regionum fungis tali modo delineatis & publicatis, aliarum, atque exterarum quoque regionum fungos, quotquot nancisci poterimus, eodem modo emittere non cessabimus.

§. 33.

Cum primum collectio fungorum nostratium erit absoluta, sequetur nouus atque vltimus huius operis tomus, continens accuratas descriptiones, explicationes, agnomina scriptorum, & quaecunque praeterea ad rem pertinere videbuntur. Hic tomus inscribetur: *Fungorum Bauariae historia.*

§. 34.

Pretium quidem huius operis non anticipabitur: sed velimus tamen, ii, qui sibi comparare illud cogitant, tempestiue nomina profiteantur, eaque aut ad Virum S. R. Ildephonsum Kennedy O.S.B., qui est Academiae ab epistolis, (Secretarium vulgo dicunt) Monachium,

chium, aut ad auctorem, Ratisbonam ita curent perferenda, ne quid sumtibus accedat per se sat magnis.

§. 35.

Tempestiua haec nominum professio ideo erit necessaria, quod exemplaria quidem Latino & Germanico sermone separatim excudenda curabimus, sed vtriusque generis non plura, quam emtores fore praeuidebimus.

§. 36.

Singulis mensibus edetur certus tabularum pictarum numerus, ita quidem, vt neque pauciores, quam sex, neque plures, quam duodecim, vnquam simul sint prodituræ.

§. 37.

Singulis iconum fasciculis pretium statuetur pro numero tabularum, quae venibunt denis crucigeris: itaque senae tabulae singulis florenis Rhenanis redimentur, eo pecuniae genere & valore, qui tempore editionis in Bauaria erit legitimus. Quod pretium quamuis minime magnum videatur; tamen spes est fore, vt post fasciculos aliquot emissos, ceteri etiam aliquanto minoris vendi possint.

§. 38.

Non est, quod quis vereatur, ne, quod in huiusmodi editionibus, quae particulatim fiunt, vsu venire solet, opus hoc non absoluatur. Quantum enim humanis consiliis prouideri potest, ita omnia instituta sunt & praeparata, vt de opere sine intermissione continuando ac demum perficiendo plane non possit dubitari.

§. 39.

§. 39.

Et cum hoc opere id potiſſimum quaeratur, vt ſingula fungorum genera & ſpecies quam planiſſime internoſci poſſint: quo certius a viris harum rerum peritis doceri queamus,

quo nomine ipſi fungum quemcunque a nobis delineatum in ſcriptis ſuis appellauerint;

quo ab aliis iam vita functis appellatum eſſe iudicent;

quid nominis vulgo apud ſuos habeat;

cui vſui ſit apud ſuos, & quomodo:

Academia Electoralis id mihi negotii dedit, vt cum Academias Scientiarum & Societates litterarias, tum omnes viros doctos, rerum naturalium ſtudioſos & fautores orarem, vt quae ad propoſitas quatuor quaeſtiones pertinent, ſubinde beneuole & amice cum dicta Academia communicent. Quod vt ipſi longe gratiſſimum erit: ita ad gratiam referendam ſe quauis occaſione paratiſſimam fore profitetur.

Fig. I.



Fig. III.



